



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas II. An de facto distinguantur Angeli non nisi specie?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

bus numero prædicabilis, alioqui non esset illa differentia aliud, quam numerica.

RESPONDETUR inprimis. Negando Ant. Negando item quod individuatio non possit habere rationem differentiae ultimae: Quod enim dicit de differentia ultima, illam debere esse prædicabilem de multis, id verum est de differentia quæ sit universalis. Hoc etiam in ter alia præ oculis haberi debet, quod quando dicitur, possibilem esse speciem, unico individuo non nisi contentam, accipitur species non pro specie formali, qualis de facto datur, sed pro specie æquivalenti, h. e. pro prædicato quod faciat non minus differre, quam differat rationalitas & rugibilitas. Unde ulterius talis individuatio, diverso respectu erit species; quia notabiliter differt creatura essentialiter individua, à non individua essentialiter; diverso autem respectu faciet differre individualiter: erit enim individuatio, existetque à parte rei; taliter autem existentia, omnia sunt individua. Denique transito Ant. distingui potest Conf. Ergo nulla natura creata involvit essentialiter singularitatem, tanquam sui essentialiter in sensu formali distinctivam. Conc. Conseq. Nam individuationes cum sint de linea accidentis Metaphysici, non faciunt essentialiter in sensu formali differre; Ergo nulla involvit essentialiter singularitatem, h. e. nulla est talis quæ essentialiter sit immultiplicabilis; quamvis faciat non nisi materialiter differre. Nego Conseq.

4. RATIO est ex Suar. D. 15. Met. S. 2. n. 22. In qualibet substantia immateriali individua & finita, concipit mens & individuum, quatenus concipit hanc numero entitatem, & rationem essentialem & specificam ejus, quæ non includit essentialiter hanc numero entitatem, nec positivam repugnantiam, ut communicari possit alteri individuo.

RESPONDETUR. Hæc quæ assumit Suar. procedunt de speciebus talibus, quæ de facto dantur. Sed cur implicabit species, quæ comparata & spectata per ordinem ad individuationem, dicat repugnantiam ad plurificari? Unde in specie essentialiter individua, possemus partim prædicata secundum se, & postea prædicata per ordinem ad individuari: Prima nihil dicit de individuatione, dicent posteriora. Modus etiam arguendi non convincit; quia quando concipimus rationale, non concipimus risibile; neque tamen rationale, potest esse sine risibili; sic etiam quando concipimus speciem, de qua hic, non concipimus individuationem; neque tamen inde sequetur, posse jam esse hanc speciem sine hac, sed sub alia individuatione.

5. RATIO ejusdem est. Quod divina natura essentialiter individua sit, provenit ex eo,

quod infinitati ejus repugnet multiplicatio; omnis autem substantia immaterialis creata, finita est.

RESPONDETUR. De facto in Deo infinitas exigit immultiplicabilitatem ex vi nexus, quem prædicata divina d'cunt inter se, sed non ex ratione aliqua propria, eò quod non implicet creaturam finitam idem exigere; ad eum modum quo Deus ex vi suæ infinitatis essendi, exigit esse intellectivus, & tamen etiam finita creatura, potest esse intellectiva.

INSTAT aliquis, omni creaturæ ut creaturæ connaturale est multiplicari individualiter; quia soli Deitati ut Deitas est, id non connaturale.

RESPONDETUR. Hoc ipsum probandum fuisse.

6. RATIO est. Quia videtur absurdum, quod si Deus voluisset annihilare omnes demones in pœnam peccati, quod inquam non potuisset illis similes, alios producere.

RESPONDETUR. Non esse hoc absurdum, nec implicare, sufficereque quod Deus iteratò eodem posset reproducere.

7. RATIO Auctoritas S. Thomæ.

Sed ille negat multiplicari posse Angelos multiplicatione univoca, h. e. ab individuo ejusdem speciei, qualis est multiplicatio unius corporei ab alio; sed non negat multiplicationem ab æquivoco, h. e. Deo.

Ex his INFERS neutram partem positivè demonstrari: Probabilius tamen esse, quod impossibilis sit talis creatura, quia ex una parte possibilitas illius positivè non suadet, ex alia parte sensus est Doctorum in Oppositum. Deinde si nihil impediatur, debemus concedere Deo soli & uni sicut perfectissimam essentiam, ita & perfectissimam individuationem: Sicut illi etiam in genere noscendi tribuimus aliquid specialissimum, & quod alteri communicari non possit, nempe comprehensionem sui; cur ergo soli illi, hanc quæ perfectissima est, essentialem scil. individuationem, non tribuamus?

DIFFICULTAS II.

An de facto distinguantur Angeli non nisi specie?

DIVISI sunt auctores. Aliqui censent illos distingui solo numero, ut Arriaga D. 4. n. 14. aliqui non nisi specie, ut Granadus cum Thomistis; alii partim numero, partim specie ut Martinon.

DICENDUM est I. Dubium esse An Angeli sint omnes distincti specie.

PROBATUR I. Quia ita docet Augustinus L. 1. cont. Origenistas & Enchiridii c. 58. Ubi dum dixisset, nos de nominibus Angelorum scire, subdit, *ignorari autem à nobis, qualis sit personarum*

narum illarum differentia, familia habet contra Priscillianistas cap. 11. Idem sensit Bern. L. 5. de Confid. c. 4. & 5. Damasc. L. 2. de Fide c. 3.

PROBATUR 2. Quia nullum est fundamentum tribuendæ illis talis distinctionis: Nam quamvis aliqui appellentur Principes, alii Virtutes, poterunt ista referri in destinationem, & moralitatem, qualis status Reipublicæ in malum hominum, potest etiam inter dæmones reperiri. Et sicut Angelus præsidens herbulis, non est distinctus ex eo ipso à præsidente hominibus, quia poterant illa officia eidem convenire; ita nec invehent distinctionem illi alii tituli. Quamvis autem Dion. cap. 5. de Div. Nomin. comparat illos ita inter se, ut comparantur homines ad Angelos, id non convincit: Quia hæc distinctio fortè est in officiis: Fortè etiam posset referri illa excellentia in aliqua accidentia spiritualia maiora & digniora v. g. species magis universales. Et sicut unus homo comparatur leoni, alter agno, sine ulla differentia specifica, ita idem in præsentia dici posset. Fortè etiam attenditur hîc ad excessum gloriæ, & inæqualitatem in gloria, qualis excessus etiam inter homines, sine ulla distinctione specifica contingit. Unde etiam, quando Rituale meminit Magistri dæmonum, hoc magisterium posset referri in dignitatem moralem, & distinctionem sine ulla inæqualitate physica; & quamvis dæmones fateantur in energumenis se esse inæquales, id non quidem in aliquam meliorem dispositionem organorum, ut in hominibus, referri debet, sed in nobiliores species, accidentiaque spiritualia, quorum aliqua ut primæ species poterant liberaliter à Deo infundi, & aliquæ de novo ab eisdem cum maiori aliquorum diligentia parari. Sicut enim Angeli, possunt non esse semper in actu adæquato suæ noscivitatis, ita possunt non esse, in actu adæquato, fabricandarum specierum, concessa illis vi, earundem, fabricativa.

PROBATUR 3. Quia in istis quæ pendent à mera libertate Dei semper est attendendum, quid ferat auctoritas, quæ non stat pro sola distinctione specifica: Expressè enim Damasc. L. de Decret. c. 1. dicit, *esse unam naturam omnium Angelorum, ut & omnium hominum.* Et Basil. l. 3. contra Eunom. agnoscit in Angelis *unitatem essentia.* Athanas. etiam quæst. ad Antiochum q. 4. dicit, Dionysium asseruisse *Angelos ordinibus differre, & tamen esse ejusdem speciei, sicut & homines.*

OBJICITUR 1. Diversitas specifica Angelorum spectat ad perfectionem universi, & cum crearet tot species materialium, congruebat ut crearet multas species Angelorum.

RESPONDETUR. Vidimus supra ex perfectione universi nihil concludi contra vel pro multitudine specierum. Deinde possibiles sunt animæ rationales specie distinctæ à nostrate, &

tamen negatur de facto reperiri hæc diversitas; & sicut in hac materia sufficit recurrere ad voluntatem Creatoris, ita & in præsentia. Deinde propter usum hominum tam varium, erant necessariae plures species materiales; quæ necessitas non facit pro Angelis. Et sicut in civitate Principis, est aliquod unum palatium pluribus cameris distinctum, ita est una species substantiæ spiritualis completæ, sine multitudine specifica.

OBJICITUR 2. Angeli sunt in gratis & ordine inæquales, & tamen censetur Deus per Dionysium L. 6. de Cæl. Hierar. Basil. L. de Spiritu S. c. 16. &c. in conferendis gratis accommodasse sese perfectioni naturali Angelicæ; Ergo apparet esse illos in natura distinctos.

RESPONDERI potest. Aliquos PP. fuisse in sententia opposita, alios etiam in alia, & ex suppositione sententiarum prædicta attulisse. Quid si accommodavit sese perfectioni maiori naturali, non in substantialibus, sed in accidentalibus?

OBJICITUR 3. Quantò aliquid est magis propinquum uni, dicens ordinem ad unum, tantò minus est multiplicatum; ut in numeris apparet: Natura angelica inter omnes naturas creatas est Deo perfectissimè uni propinquior, atque ad eundem dicit ordinem transcendentalem. Ergo.

RESPONDETUR. Quantò aliquid uni numericè est propinquius debet esse minus multiplex, licet possit esse multiplex quantumvis magis sit propinquum uni quoad perfectionem gradum, ordinem essendi & similia.

DICENDUM est 2. *Non constare quòd Angeli sint solo numero diversi.*

PROBATUR. Quia quamvis Nissenus de officio hominis c. 17. dicat, illos esse unam naturam & multos números, & quamvis Anselmus L. 2. Cur Deus homo c. 26. dicat, Angelos esse ejusdem naturæ, licet non sint ejusdem generis ut homines, *Nec enim sunt, inquit, omnes Angeli de uno Angelo.* Hæc tamen omnia non convincunt, quia sunt etiam Patres qui in illis agnoscunt specificam differentiam. Hæc etiam ipsæ auctoritates explicari possent, quòd sint ejusdem essentia, accipiendo essentiam pro gradu intellectualem, sicut & homines in eodem conveniunt omnes: Et quòd non accipiat illic natura strictè pro differentia specifica.

OBJICITUR 1. Non est possibilis in tanta simplicitate, quanta est in angelica natura, tanta multitudo specierum.

RESPONDETUR. Id nullo modo implicare contradictionem, non tantum in Angelis, sed etiam in hominibus; & licet multiplicatio specierum animæ, non possit à nobis concipi, distinguendo inter species & species, illarumque nobis proprietatem particulatim proponendo; potest

potest tamen à nobis concipi in universum; quia licet id non implicet contradictionem. Immo non sequitur ex eo, quòd aliquid concipere non possimus, jam illud implicare: Certè enim non concipimus quomodo nostra anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte, nihilominus id de facto est.

OBJICIUNTUR 2. Congruentiæ aliquæ.

1. CONGRUENTIA est. Ad ornatum aulae Principum spectat, ut in omni ordine, sit aliqua multitudo cum æqualitate.

RESPONDETUR. Etiam in aulis principum sunt dignitates specie morali distinctæ, majorque esset dignitas si ad latus Regis essent non multitudo pedisequorum, sed aliorum & aliorum officialium. Et sicut in arte factis magis estimatur imago, quæ aliam & aliam habet varietatem facierum; sic etiam in præfenti magis estimanda esset varietas specifica. Et sicut longè esset augustior hortus, in quo nulli essent duo flores solis individuis distincti; sic & in præfenti.

2. CONGRUENTIA est. Quia spectat ad maiorem conjunctionem, si sint aliqui solo numero diversi.

RESPONDETUR. Conjunctionem animi poterit conciliare recta ratio, amor beatus, sicut conciliabit inter nos & Angelos, quamvis ab illis specie distincti.

3. CONGRUENTIA. Quia aliàs in damnatis periissent totæ species Angelorum, & tamen PP. pro ratione adferunt, cur non sit assumpta angelica natura sed humana; quia tota natura hominum perierat, periisset autem in dæmonibus tanta multitudo specierum.

RESPONDETUR. Quia homines non sunt plures species, totum genus illorum periisset in Adamo, non periisset autem totum genus angelicum, quantumvis periissent aliquæ species.

OBJICIUNTUR 3. Non datur animal rationale volatile ut avis, natativum ut piscis; Ergo neque debebant dari plures species Angelorum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quia voluit Deus hominem condere ut præfesset reliquis infra se; non posset autem hanc præfidentiam habere absolutam, si essent aliæ species animalis rationalis. Deinde dicitur communiter; Si nunc homines paulò nonnisi opibus vel ingenio valentiores, nihilominus convenire non possunt cum inferioribus, à quibus specie non distinguuntur; quid fieret in varietate specierum? Jam autem in Angelis propter immaterialitatem & libertatem à tot indigentis, non erat morale periculum tot tricarum.

DICENDUM est 3. Angelos propter auctoritatem S. Thome differre specie. Quia ita docet S. Doctor hic q. 50. art. 4.

De Operationibus angelicis.

Prius agendum fuisset de Potentiis angelicis; de quibus quia pauca non nisi interserenda sunt, & reliqua petenda ex Animasticis, hinc titulum Tractatus non formamus de potentiis, sed de actionibus.

DISPUTATIO II.

De Actione Angelorum, quæ est Intellectio.

Quid Intellectus angelicus? Quomodo distinctus à substantia Angelorum? petatur ex Animasticis. Quia tamen species impressæ habent aliquid specialis difficultatis; propriè huius loci. Sit.

QUÆSTIO I.

De speciebus impressis Angelorum, tanquam principis intellectionis.

Quid sint species impressæ petatur ex Animasticis, & ex dictis in prima parte: Suffice-